

330.

Papst Martin V. widerruft die von ihm erlassene Bulle, nach welcher kein geistlicher Richter Exkommunikation oder Interdikt über Landgraf Friedrich, seine Gemahlin Anna und ihre Länder ohne besondern päpstlichen Auftrag erlassen darf, für die der geistlichen Gerichtsbarkeit des Erzstifts Mainz unterworfenen Gebiete. Rom (S. Peter), 1424 Jan. 12.

Hschr.: Or. nicht auffindbar. Im Vatikan. Archiv keine Registerüberlieferung feststellbar.

Gedr.: Gudenus, Codex diplomaticus anecdotorum IV 153 (ex autogr.). — Ausz. Joannis I 739.

Martinus episcopus servus servorum dei ad futuram rei memoriam. Exposcit iniuncti nobis pastoralis officii debitum taliter nos omnium et presertim metropolita-
 10 narum ecclesiarum earumque pastorum invigilare profectibus, ut preserventur a noxis et in suis iurisdiccionibus et iuribus aliis presertim per apostolice sedis litteras seu indulta non ledantur seu ipsis detrimentum vel preiudicium inferatur. Sane nuper dilecto filio nobili viro Friderico iuniori lantgravio Thuringie et marchioni Misnensi et dilecte in Christo filie nobili mulieri Anne eius uxori lantgravie Thuringie et mar-
 15 chionisse Misnensi per alias nostras litteras^{a)}, ut nullus ordinarius vel delegatus seu subdelegatus aut executor vel conservator seu alius quicunque iudex, quavis auctoritate eciam per litteras sedis predictae vel legatorum eius cuiuscunque tenoris existerent tunc datas^{b)} vel ex tunc inantea quomodolibet dandas^{c)}, in ipsos lantgravium et lantgraviam vel eorum aliquem quavis eciam apostolica vel ordinaria auctoritate
 20 excommunicacionis ac eciam, quam diu vitam ducerent in humanis, in quascunque terras vel loca eorum temporali dominio coniunctim vel divisim subiecta interdicti sentencias absque speciali mandato sedis predictae de indulto huiusmodi plenam et expressam ac de verbo ad verbum mencionem faciente proferre vel promulgare posset, indulsumus, decernentes irritum et inane, quidquid forsitan in contrarium a quo-
 25 quam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contingeret attemptari, nec non quascunque excommunicacionis et interdicti sentencias, si quas contra tenorem earundem litterarum quomodolibet proferri contingeret vel promulgari, similiter irritas et inanes nullumque robur obtinere firmitatis, prout in ipsis litteris plenius continetur. Cum igitur, sicut fide digna relacione percepimus, terre et loca dicto temporali dominio,
 30 quod satis latum et longum est, subiecta quasi omnia vel saltem maior pars eorum, quorum eciam plura populosa et notabilia sunt, in dyocesi Moguntina consistent et unam non parvam partem dyocesis constituent, iudicium quoque ecclesiasticum et iurisdiccio ordinaria in eadem dyocesi per huiusmodi litteras, indultum et decretum, si sortirentur effectum, non mediocriter lederentur, impedirentur et eciam diminueren-
 35 tur in archiepiscopi Maguntini, qui est pro tempore, et eius ecclesie . . . preiudicium non modicum et magnum detrimentum, nos cupientes, quantum in nobis est, huiusmodi iudicium ecclesiasticum et ordinariam iurisdiccionem in prefata dyocesi, prout usque ad tempus date dictarum litterarum observata fuerant, inantea conservari, predicta nostra litteras, indultum et decretum quoad omnia et singula loca et terras

40 330. a) Die Urkunde war nicht aufzufinden. b) datus Gudenus. c) dandus Gudenus.